



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCXLV. Ioannis Papae VIII. Ad Theodoricvm Archiepiscopvm
Bisvntinensem. Significat se de ipsius causa Carolo regi scripsisse; ac de
Hieronymo episcopo Lausanensi hortatur, vt adiuuare illum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

nus eundem Lausanensem episcopatum, illi iam olim diuinitus concessum, pro amore Dei & nostro, de præsentis reddere, & securiter quasi suo fideli habere permittat. Nam eo viuente in alterius electione, vel episcopali consecratione, assensum nullo modo præbebimus: quin potius apostolica hoc fieri auctoritate modis omnibus inhibebimus, ne contra statuta patrum duo in vna videantur ciuitate esse episcopi. Quapropter nobis iusta mandantibus omni annis & voluntate fauere nullo modo prætermittatis, quo minus nostræ voluntatis legatio apud serenissimum regem salutis & pacis ecclesiasticæ per vestrum certamen effectum obtineat: quatenus eadem ecclesia Dei, proprio recepto pastore, salua in omnibus & quieta consultat. Data xx. die mensis Iunii, indictione XIII.

EPISTOLA CCXLV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD THEODORICVM ARCHIEPISCOPVM
BISVNTINENSEM.

Significat se de ipsius causa Carolo regi scripsisse; ac de Hieronymo episcopo Lausanensi hortatur, vt adiuuare illum studeat.

*Reuerendissimo & sanctissimo Theodorico archiepiscopo
Chrysopolitanæ ecclesiæ.*

PRO tot & tantis perturbationibus, & calamitatibus, quas ab iniquis & Deum non timentibus viris ecclesiam tibi commissam quotidie pati vestris literis referentibus agnoscimus, plurimum condolemus, & congruum cupimus, Deo fauente, vobis præbere solatium, quatenus sedis vestræ vigorem pristinum indiminuto iure feliciter obtineatis. Nam dilecto ac spiritali filio nostro Carolo glorioso regi pro tuæ causa vtilitatis, proque vestræ plebis salute suggestimus, vt pro amore Dei & nostro, suo vos auxilio ac defensione in omnibus tueatur, & de his qui res ecclesiæ vestræ inuadere præsumperunt, iustitiam facere dignetur, resque ipsas sub integritate vobis restitui iubeat. Vos tamen, more boni pastoris, sicut in prosperis humiles, ita quoque in aduersis fortes existite, vt populum Domini tibi commissum pro malorum infestatione, quam patimini,

Concil. Tom. 24.

N n ij

strenue regere non omittatis. Pro ipso etiam Hieronymo episcopo eidem regi direximus, vt Lausanensem episcopatum illi diuinitus concessum, & nostra apostolica auctoritate largitum, securiter amodo retinere permittat. Et ideo vestra fraternitas etiam in hoc adiuuare pro viribus non prætermittat. Data xx. die mensis Iunii, indictione XIII.

EPISTOLA CCXLVI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM REGEM.

Commendat eius erga Romanam ecclesiam obseruantiam. rogat vt legatum sibi auxilio mittat.

Dilecto ac spiritali filio Carolo glorioso regi.

MULTIPLICES regię magnitudini vestrę his nostris apostolicis literis gratias agimus pro vestra tam ingenti cura & sollicitudine, quam circa sanctam Romanam ecclesiam matrem vestram habetis; atque pro vestrę deuotionis sinceritate, qua nos purę mentis affectu more parentum vestrorum diligitis, & in omnibus adiuuare alacriter cupitis. Et quia pro exaltatione, atque vtilitate sedis apostolicę, totiusque terrę sancti Petri defensione, vos prompta mente desudare velle cognoscimus: in quo scilicet vestri desiderii affectu piissimo, & diuinam circa regiam gloriam vestram habebitis adiutricem & placabilem maiestatem, & dignam non solum in hoc sæculo, sed etiam in caelesti postmodum regione retributionem procul dubio recipietis. Quod vero mandastis, vt marchiones vestri, qui circa nos existunt, ad defensionem necessariam peragendum nobiscum pariter decertare debuissent; hoc autem sine vestrę maiestatis præsentia, vel sine idonei optimatis vestri nullo modo, sicut oportet, proderit nobis: eo quod ipsi marchiones homines de ciuitatibus, & propriis finibus nostris, cum quibus territorium sancti Petri poteramus satis defendere, in suo assiduo seruitio habent, & nonnullos eorum potentia sua defendunt: & ita impediunt, vt nostrum seruitium secundum voluntatem nostram minime perficere valeant. Vnde preca-